



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum abstinentia sit virtus specialis? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

perantia, denominatur à defectu: & tamen confitit in medio, in quantum est secundum rationem rectam.

Ad quartum dicendum, quòd illa vitia proueniunt ex abstinentia, prout non est secundum rationem rectam. Ratio enim recta facit abstinere sicut oportet, scilicet cum hilaritate mentis, & propter gloriam Dei, non propter gloriam suam.

ARTIC. II.

Verum abstinentia sit specialis virtus?

705

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd abstinentia non sit specialis virtus. Omnis enim virtus secundum se ipsam est laudabilis. Sed abstinentia non est secundum se laudabilis. Dicit enim Gregor. in pastoralibus, quòd virtus abstinentia non nisi ex alijs virtutibus commendatur. Ergo abstinentia non est specialis virtus.

*p. 3. c. 20.
s. med.*

¶ 2. Præterea, August. * dicit de fide ad Petrum, quòd abstinentia sanctorum est à cibo, & potu, non quia aliqua creatura Dei sit mala, sed pro sola corporis castigatione. Hoc autem pertinet ad castitatem, ut ex ipso nomine apparet. Ergo abstinentia non est virtus specialis à castitate distincta.

*e. 42. cir.
prin. 2. 3.*

¶ 3. Præterea, Sicut homo debet esse contentus moderato cibo, ita & moderata veste: secundum illud 1. ad Timot. ult. Habentes alimenta, & quibus regamur, his contenti simus. In moderatione autem vestium non est aliqua specialis virtus. Ergo neque abstinentia quæ est moderatiua alimentorum.

** li. 1. in*

sonn. Scipionis in

f. 2. ante

me. lib.

** q. 141.*

art. 3. c.

q. 136. a. 1.

SED contra est, quod Macro. * ponit abstinentiam specialem partem temperantia.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum * est, virtus moralis conseruat bonum rationis contra impetus passionum: & idèd ubi inuenitur specialis ratio, qua passio abstrahit à bono rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem. Delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere hominem à bono rationis, tum propter earum magnitudinem, tum etiam

etiam propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conseruationem, quam maximè homo desiderat. Et idè abstinencia est specialis virtus.

Ad primum ergo dicendum, quòd virtutes oportet esse connexas, vt supra * dictum est. Et idè vna virtus adiuuatur, & commendatur ex alia, sicut iusticia ex fortitudine. Et per hunc etiam modum virtus abstinencia commendatur ex alijs virtutibus.

I. 2. q. 65
art. 1.

Ad secundum dicendum, quòd per abstinenciam corpus castigatur non solum contra illecebras luxuria, sed etiam contra illecebras gula: quia dum homo abstinet, magis redditur fortis ad impugnationes gula vincendas, quæ tanto fortiores sunt, quanto magis homo eis cedit. Et tamen non prohibetur per hoc abstinenciam esse specialem virtutem, quòd ad castitatem valet: quia vna virtus ad aliam iuuat.

Ad tertium dicendum, quòd vsus vestimentorum est introductus ab arte: vsus autem ciborum à natura. Et idè magis debet esse virtus specialis circa moderationem ciborum, quàm circa moderationem vestimentorum.

QVÆST. CXLVII.

De Ieiunio, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de ieiunio.

- ¶ Et circa hoc querantur octo.
- ¶ Primo, vtrum ieiunium sit actus virtutis?
- ¶ Secundo, cuius virtutis sit actus.
- ¶ Tertio, vtrum cadat sub præcepto?
- ¶ Quarto, vtrum aliqui excusentur ab obseruatione huius præcepti?
- ¶ Quinto, de tempore ieiunij.
- ¶ Sexto, vtrum semel comedere requiratur ad ieiunium?
- ¶ Septimo, de hora comestionis ieiunantium.
- ¶ Octauo, de cibis, à quibus debent abstinere.